

ÉRTEKEZÉSEK
A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.

KIADJA A MAGYAR TUD. AKADÉMIA.

AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL

SZERKESZTI

SZINNYEI JÓZSEF

OSZTÁLYTITKÁR.

XXIV. KÖTET 7. SZÁM.

ADDENDA COMMENTARIIS
AD CARMINA TIBULLIANA

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.
die 13. Octobris ann. 1924. recitata.*

BUDAPEST.

1925.

ADDENDA COMMENTARIIS AD CARMINA TIBULLIANA

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.
die 13. Octobris ann. 1924. recitata*

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE
MCMXXV.

Addenda commentariis ad carmina Tibulliana.

Haec commentatio supplementum est editionum Tibulli¹ et Lygdami² a me curatarum. Quae enim mihi — nam dies diem docet — commentariis illis addenda videntur, partim in Actis Societatis Philologorum Budapestinensis³ et Museo Rheno⁴ dispersa, partim nunc primum publici iuris facienda, ea collecta et emendata hoc parvo libello comprehendam.

I.

Lib. I. eleg. 1, vss. 11—12:

Nam veneror, seu *stipes* habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida sarta lapis.

Ad *stipes desertus in agris* in editione mea adnotavi: „terminus, cui numen tribuerunt antiqui“; ad *vetus in trivio lapis*: „hoc loco iam non est de termino cogitandum (nullus enim in trivio locus termino), sed intellegendi sunt lapides sacri, reliquiae religionis antiquissimae, quibus numen inesse putabant veteres; eos in triviis fuisse testatur etiam Theophr. Char. 16.“ At fortasse ne *stipes* quidem ad *terminum*, sed ad *arbores* vetustate et religione sacras referendus est, quas pii homines sertis ornare solebant; *stipes* igitur (i. e. truncus) significat tunc arborem vetustam, quae maximam ramorum partem amisit. Cf. Ov. Met. VIII. 742. sqq.: „Stabat in his ingens *annoso robore* quercus, Una nemus; vittae mediam memoresque tabellae *Sertaque* cingebant“; ibid. 719. sqq.

¹ *Albii Tibulli carmina*. Accedunt Sulpiciae elegidia. Budapestini, sumptibus Academiae Litterarum Hungaricae, 1905.

² *Lygdami carmina*. Accedit Panegyricus in Messallam. Ibidem, 1906.

³ *Egyetemes Philologiai Közlöny*, ann. 1909. p. 81. sqq.

⁴ *Rheinisches Museum*, ann. 1908. p. 632 sq. et 1909. p. 407. sqq.

(de Philemone et Baucide in arbores mutatis): „ostendit adhuc Thyneius illic Incola de gemino vicinos corpore *truncos* ... equidem pendentia vidi *Serta* super ramos ponensque recentia dixi“. *Stipes* pro arbore, ut Ov. Fast. III. 31—32: „Inde duae pariter, visu mirabile, palmae Surgunt“ et ibid. 37—38: „Martia picus avis gemino de *stipite* pugnant et lupa“.

II.

I. 1, 41—44:

Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est, *uno* requiescere lecto
Si licet et solito membra levare toro.

Vs. 43. „satis est *uno*“ legitur in florilegio Parisino; in editione mea conieci: „satis est *tuto*“; Ambrosianus habet: *satis est satis est*. In archetypo Ambrosiani certe fuit lacuna, quam librarii suppleverunt bis ponendo *satis est*. Lectus in domo avita Tibulli *tutus* est ab incursione hostium, a ventis et pluviis, quae omnia perpessus est Tibullus bello Aquitanico; cf. supra vs. 4: „Martia cui somnos classica pulsa fugent“ et infra 48—50: „*Securum* somnos imbre sonante sequi! Hoc mihi contingat, sit dives iure, furorem Qui maris et tristes fere potest pluvias“ et 45: „Quam iuvat immites ventos audire cubantem“. Cf. Catull. 31, 5—10. (de se domum reverso): „Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos Liquisse campos et videre te in *tuto*! O quid solutis est beatius curis, Cum mens onus reponit ac peregrino Labore fessi venimus *larem ad nostrum* Desideratoque *adquiescimus lecto*“; Hor. Sat. II. 6, 116—117: „me silva cavusque *Tutus* ab insidiis tenui solabitur ervo“. Coniecturam meam confirmat etiam epicedium Tibulli Ovidianum (Am. III. 9.), quod magna ex parte ex allusionibus Tibullianis contextum est., vs. 67: „Ossa quieta precor *tuta requiescite in urna*“. Vult enim Ovidius fortasse dicere: Tibullus, dum viveret, in *tuto lecto requiescere* voluit; nunc saltem mortuus in *tuta urna requiescat*. Praeterea ante *solito toro* (vs. 44.) desideratur epitheton parallelum ad *lecto* (vs. 43.) pertinens.

III.

I. 1, 45—48:

Quam *iuvat* immites ventos audire cubantem
 Et dominam tenero continuuisse sinu,
 Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit auster
 Securum semnos imbre *iuvante* sequi.

Vs. 48. minus apte positum videtur *iuvante* propter praecedens *iuvat* (vs. 45.) Quare in editione Lygdami (p. 176.) conieci *sonante*, quam emendationem errore mihi ipsi tribui, cum idem iam Baehrens suspicatus sit iure, ut videtur: nam aequalis sonus aquae cadentis facile et iucunde homines sopit. Cf. Tibull. I. 2, 77—78: „soporem Nec *sonitus* placidae ducere posset *aquae*“, ubi alludit ad silanos, quos in cubiculis habebant divites Romani testibus Cels. Med. III. 18: „Confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxta accidens“ et Senec. Epist. 100, 6: „Desit sane . . . concisura aquarum cubiculis interfluentium“. Tibullus ante oculos habuit Hor. Epod. 2, 27—28: „Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves“. Simile est apud Liv. XXIV. 46, 5: „*imber* . . . lentior deinde aequaliorque *accidens* auribus magnam partem hominum sopivit“.

IV.

I. 2, 71—78:

Ipsae boves mea si tecum modo Delia possim
 Iungere et in *solito* pascere monte pecus,
 Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
 Mollis et *inculta* sit mihi somnus humo.
 Quid Tyrion recubare toro sine amore secundo
 Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
 Nam neque tum *plumae* nec stragula picta soporem
 Nec sonitus placidae ducere posset aquae.

Corruptum videtur vs. 74. *inculta*; nam somnus ne inculta quidem humo (e. g. in agro perarato) iucundus est. Quod interpretes afferre solent, Propert. I. 18, 28: „Et datur *inculto* tramite dura quies“, non huc pertinet, nam *inculto* apud Propertium significat: ab hominibus deserto. Quare in editione mea conieci *in dura*, emendationem mihi ipsi tri-

buens, in quo erravi; idem enim suspicatus est iam Dousa filius. *Mollis-dura* solita antithesis, ut Lygd. 4, 76: „Vincuntur molli pectora dura prece“. Cf. Prop. III. 15, 16: „caput in dura ponere iussit humo“; Ov. Met. IX. 650—651: „dura positis tellure capillis, Bybli, iaces“ et Fast. II. 354: „Membraque de dura vix sua tollit humo“. Praeterea *dura humus* (vs. 74.) opponitur molli *toro* (vs. 75.) et mollibus *plumis* (vs. 77.)

Vs. autem 72. pro *solito* Scaliger rectissime restituit *solo*; hunc enim Tibulli locum ante oculos habuisse videtur Prop. VI. 19, 7—8: „*Sola* eris et *solos* spectabis, Cynthia, *montes* Et *pecus* et fines pauperis agricolae“ (ubi agitur de Cynthia rusticante) et Verg. Aen. XI. 569: „Pastorum et *solis* exegit montibus aevum“.

V.

I. 3, 5—8.

Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater,
Quae legat in maestos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quae *dedat* odores
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

Non potest Latine dici: *dedere* alicui munus, honores, sacrificium; quare in editione mea scripsi: *reddat* emendationem errore mihi tribuens; Heyne enim primus hoc suspicatus est. *Reddere* significat: iusta dare Manibus aut diis; cf. infra vs. 34: „Reddereque antiquo menstrua tura Lari“.

VI.

I. 3, 27—32. (ad Isin):

Nunc, dea, nunc succurre mihi (nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis),
Ut mea votivas persolvens Delia *voces*
Ante sacras lino tecta fores sedeat
Bisque *die* resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

Vehementer doleo in editione mea non me recepisse optimam Scaligeri coniecturam, qui vs. 29. pro *voces* scribendum censuit: *noctes*. Agitur enim de excubiis sacris in honorem Isidis agendis, quibus opponitur vs. 31: „Bisque

die“, ubi agitur de sacris mane et vesperi celebrandis. Hunc Tibulli locum ante oculos habuit Propertius, cum II. 28, 61—62. ita iocatus est cum Cynthia: „Redde etiam *excubias* divae nunc, ante iuvencae, *Volivas noctes* et mihi *solve* decem“; commemorat praeterea Propertius *noctes* Isidi sacras etiam II. 33, 1—2: „Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis: Cynthia iam *noctes* est operata decem“.

VII.

I. 4, 41—44. (de amante puerum amatum quolibet secuturo) nunc ita scribo:

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
Et Canis arenti torreat arva siti,
Quamvis praetexens *picea* ferrugine caelum
Venturam *cicat nubifer Eur*us aquam.

Tibullus hoc loco ante oculos habuit Hor. Epod. 16, 53—54, et 61—62: „ut neque largis *Aquosus Eur*us arva radat imbris . . . nullius *astri* Gregem aestuosa torret impotentia“. Tibullum autem respexisse videtur auctor Dirarum Pseudoverg. vs. 38.: „*Eurus* agat mixtam *furva caligine* nubem“. Cf. etiam Hor. Carm. III. 17, 11: „Demissa tempestas ab *Euro*“.

Ad *picea ferrugine* (=nubes atra) cf. Ov. Her. 18, 7: „caelum *pice* nigrius“ et Met. I. 264—265: „madidis Notus evolat alis Terribilem *picea* tectus caligine vultum“ et Lucret. VI. 251—252: „niger quoque per mare nimbus, Ut *picis* e caelo demissum flumen“.

Ad *nubifer Eur*us cf. Ov. Her. 3, 58: „dare nubiferis linea vela Notis“ et Sil. Ital. 10, 322: „nubifer Eurus“ et Hor. Carm. II. 16, 23—24: „agente nimbos Ocior Euro“.

Vs. 44. legimus in Ambrosiano: „venturam *amiciat*“. Corruptela rectissime emendatur Scaligeri coniectura: „venturam *cicat*“. Cf. Gell. N. A. XIII. 9.: „Hyades cum oriuntur et cum occidunt, tempestates, pluvias largosque imbres *cient*“.

VIII.

I. 5, 39—48. narrat Tibullus se, cum Deliam amaret, Venere alia frui non potuisse:

Saepe aliam tenui: sed iam cum gaudia adirem,
 40 Admonuit dominae deseruitque Venus.
 Tunc me discedens devotum femina dixit,
 A pudet, et narrat scire nefanda meam.
 Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis
 Devovet et flavis nostra puella comis.
 45 Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
 Vecta est frenato caerulea pisce Thetis.
 Haec nocuere mihi, *quod adest* huic dives amator,
 Venit in exitium callida lena meum.

Locum ita exhibui in editione mea. Corruptus esse videtur vs. 47., ubi *Haec nocuere* certe non solum ad sequentia, sed etiam ad praecedentia referendum est: *nocere* enim proprie dicitur de devotione magica vultque dicere poeta se non carmine magico (vs. 43. *verbis*), sed pulchritudine Deliae esse devotum. Cf. infra I. 8, 23—26: „Quid queror heu misero carmen *nocuisse*, quid herbas? *Forma* nihil magicis utitur auxiliis: Sed corpus tetigisse *nocet*, sed longa dedisse Oscula“ et Ovid. Am. III. 7, 19—20. et 27—28., ubi manifesta est Tibulli imitatio: „A! pudet annorum! quare iuvenemque virumque Nec iuvenem nec me sensit amica virum?... Num mea Thessalico languent *devota* veneno Corpora? num misero carmen et herba *nocent*?“ Scribendum igitur vs. 47—48:

Haec nocuere mihi *quodque* est huic dives amator,
 Venit in exitium callida lena meum.

Duplex est igitur causa, cur Tibullus praeter Deliam aliis puellis virum se praestare non potuerit: amor pulchritudine Deliae accensus et dolor propter infidelitatem eiusdem; cf. supra vss. 37—38: „Saepe ego temptavi curas depellere vino: At *dolor* in lacrimas verterat omne merum“.

IX.

I. 6, 1—4:

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus,
 Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
 Quid tibi *saevitiae* mecum est? an gloria magna est
 Insidias homini composuisse deum?

Vs. 3. ita exhibet Ambrosianus; mendose. Nam *quid saevitiae tibi mecum est* non potest Latine dici. Optima est

deteriorum codicum lectio: *saeve puer*; agitur enim de Amore puero, quem poetae saepe etiam solo *pueri* nomine alloquuntur, ut Tibullus ipse II. 6, 5: „Ure, *puer*, quaeso, tua qui ferus otia liquit“. Tibullus ante oculos habuit Verg. Ecl. 8, 47—49: „*Saevus Amor* docuit natorum sanguine matrem Commaculare manus: crudelis tu quoque, mater. Crudelis mater magis an *puer improbus* ille?“ Vergilium et Tibullum simul imitatur Lygd. 4, 65—66: „*Saevus Amor* docuit validos temptare leones, *Saevus Amor* docuit verbera posse pati“. Vergilium, Tibullum et Lygdamum simul respexit auctor Ciris (vs. 133—138.): „Sed *malus* ille puer, quem nec sua flectere mater Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem Iuppiter (ille etiam Poenos domitare leones et validas novit vires mansuescere tigris, Ille etiam divos, homines — sed dicere magnum est), Idem tum *tristes* acuebat parvulus iras“.

X.

l. 6, 51—54. sacerdos Bellonae ita monet amatores Deliae, Tibulli rivales:

Parcite, quam custodit Amor, *violare puellam*,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigerit, labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.

Deinde ipse poeta addit vss. 55—56:

Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas.
Si tamen *admittas*, sit precor illa levis.

Interpretes vulgo ita explicant locum: si tamen *admittas culpam*, si tamen pecces, i. e. infidelis sis mihi. Certe fugit eos verbum *admittendi* absolute, ut hoc loco, positum nunquam significare idem atque *peccare*. Sed in sermone amatorio poetarum Romanorum *admittere* absolute positum significat: *virum ad se admittere*; contrarium est: *negare*. Cf. Ov. Am. 1, 8, 51—53. (monita Ienae ad puellam pulchram): „Aera mitent usu, vestis bona quaerit haberi, Canescunt turpi tecta relicta situ: Forma, nisi *admittas*, nullo exercente senescit“; Propert. III. 21, 7. (de Cynthia): „Vix tamen aut semel *admittit*, cum saepe negarit“.

XI.

I. 7, 1—4. (in natalem Messallae):

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
 Stamina non ulli dissoluenda deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
 Quem tremeret forti milite victus Atax.

Ad vs. 3. adnotavi: „Messalla igitur ipso natali suo Aquitanos pugnando devicit“. Sed si hoc re vera accidisset, poeta certe clarius et pluribus verbis narrasset rem tam memorabilem. Multo verisimilius est vs. 3. *Hunc* (sc. diem) nihil aliud significare, nisi *virum hoc die natum*. Dies enim, qui Messalem peperit, erat ultima causa victoriae Aquitanicae.

XII.

I. 7, 11:

Festis Arar Rhodanusque celer magnusque Garumna.

Rhodano celeriter fluenti opponitur Arar tarde fluens; cf. Senec. Apocol. 7: „Ubi Rhodanus ingens amne praerapido fluit Ararque dubitans, quo suos cursus agat, Tacitus quietis adluit ripas vadis“ et Caes. B. G. I. 12: „Arar in Rhodanum influit incredibili lenitate“.

XIII.

I. 7, 59—60. (de via Latina a Messalla munita):

Namque opibus congesta tuis hic *glarea* dura
 Sternitur, hic apta iungitur arte *silex*.

In editione mea adnotavi: „erat igitur via partim glarea, partim silice (i. e. lapidibus magnis) strata“. Recte: via primum glarea sternitur (substruitur), deinde operitur silice. Tales erant viae extra urbem; in urbe autem viae non habebant substructionem ex glarea, sed solum diligenter aequatum operiebatur grandiore silice.

XIV.

I. 8, 35—38. (monita poetae ad Pholoen, puellam a Maratho amatam):

At Venus inveniet puerro concumbere furtim,
 Dum *tumet* et teneros *conserit* usque sinus,
 Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis
 Oscula et in collo figere dente notam.

Locum ita scripsi in editione mea cum maiore codicum parte; Ambrosianus habet vs. 36. *timet* pro *tumet*. Sed versus procul dubio corruptus est. Nunc *tumet* emendo in *tutum* et pro *conserit* scribo cum Heynio *conserere*, ut versus talem habeat formam:

Dum *tutum*, et teneros conserere usque sinus
 Et dare etc.

Sensus totius loci: Venus inveniet puero concumbere, pectora conserere, oscula dare, dente notas figere, dum *tutum* est. Nam Pholoen *canum amatorem* habuisse elucet ex vs. 29: „det munera canus amator“ eamque custoditam fuisse ex vss. 55—56. (verba Marathi ad puellam): „poterat custodia vinci: Ipse dedit cupidis fallere posse deus“. Cf. etiam Ov. Am. II. 18, 35: „Nec tibi, *qua tutum* vati, Macer, arma canenti Aureus in medio Marte tacetur Amor“ et Propert. I. 15, 42: „O nullis *tutum* cedere blanditiis“, ubi *tutum*, sicut apud Tibullum, sine *est* ponitur; et Ov. A. A. II. 731—732. (de Venere furtiva): „Cum mora non *tuta* est, totis incumbere remis Utile“. Ad *sinus conserere* cf. Lucil. VIII. 270: „Tum latu' componit lateri et cum pectore pectus“; Prop. IV. 7, 19—20: „Saepe Venus trivio commissa est, pectore mixto Fecerunt tepidas pallia nostra vias“; Ov. Her. 15, 101: „At quanto melius iungi mea pectora tecum“. Origo corruptelae: ex *tutum et* per haplographiam *tumet*, deinde versus supplendi gratia *tumet et* factum est.

XV.

I. 9, 35—36. nunc ita scribo:

Illis eriperes verbis mihi sidera caeli
 Lucere et *puras fluminis* esse vias.

Corruptum est *puras*. Vehementer doleo me non recepisse pulcherrimam Heynii emendationem: *pronas*. Erravi etiam in eo, quod pro *fluminis*, quae est Ambrosiani lectio,

recepi codicum deteriorum lectionem: *fulminis*, quare coactus sum pro *puris* cum Postgatio scribere *rubras*. Non de *fulmine* agitur, sed de *flumine* deorsum fluente neque unquam in fontem revertente; nam eadem fere *ἀδύρα* commemorantur ab ipso Tibullo l. 2, 43—44. (de saga): „Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi, *Fluminis* haec rapidi carmine vertit *iter*“; Ov. Am. l. 8, 5—6: „Illa magas artes Aeaeaeque carmina novit *Inque caput* liquidas arte *recurvat* aquas“. Cf. etiam Verg. Ge. l. 203: „Atque illum praeceps *prono* rapit alveus amni“; Hor. Carm. l. 29, 10—12: „quis neget arduis *Pronos* relabi posse *rivos* Montibus et Tiberim reverti“ et Epist. l. 10, 21: „per *pronus* trepidat cum murmure *rivum*“; Val. Flacc. VI. 633. (de Medea): „Mutat agros *fluviumque vias*“.

XVI.

l. 9, 43—44. (de puella ad iuvenem veniente):

Saepe insperanti venit tibi munere nostro
Et latuit clausas post *adoperta* fores.

Ad *adoperta* in editione mea adnotavi: „capite velato“. Interpretationem meam confirmat Ov. Met. IV. 93—95: „Cal-
lida per tenebras *vērsato* cardine Thisbe Egreditur fallitque
suos *adopertaque vultum* Pervenit ad tumultum“.

XVII.

l. 9, 59—60. (de muliere lasciva):

Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula vel plures *emeruisse* viros.

In commentario meo haec adnotavi: „*plures emeruisse viros*, exhausisse, confecisse“. Erravi: nam *emereri* *aliquem* significat: bene mereri de aliquo, officium suum praebere alicui. Cf. Ov. Her. VI. 137—138. (de Medea): „Quid refert, scelerata piam si vincet et ipso Crimine dotata est *emeruitque virum*“ et Trist. IV. 8, 51—52. (de Augusto): „At vos admoniti nostris quoque casibus este Aequantem superos *emeruisse virum*“.

XVIII.

II. 1, 51—54:

Agricola adsiduo primum satiatus aratro
 Cantavit certo rustica verba pede
 Et *satur* arenti primum est modulatus avena
 Carmen, ut ornatos diceret ante deos.

Poeta ante oculos habuit Lucret. V. 1384. sqq., ubi
 agitur de inventione artium apud homines antiquissimos:

Inde minutatim dulces didicere querellas,
 Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
 Avia per nemora ac silvas saltusque repertas,
 Per loca pastorum deserta atque otia dia.
 Haec animos illis mulcebant atque iuvabant
Cum satiate cibi: nam tum sunt carmina cordi.

XIX.

II. 2, 5—8. (de natali Cornuti):

Ipsae suos adsit Genius visurus honores,
 Cui decorent sanctas mollia *sarta* comas.
 Illius *puro* destillent tempora *nardo*
 Atque satur libo sit madecaque mero.

Versum 7. in editione mea ita explicui: „*puro nardo*,
 unguento nardino Indico non adulterato; cf. Plin. N. H.
 XIII. 16: „In hoc genere conveniet meminisse herbarum,
 quae nardum Indicum imitantur, species novem a nobis esse
 dictas“. Sed certe ineptum esset, si Tibullus de deo dixisset:
 eum non uti unguentis adulteratis. Emendandi viam monstrat
 nobis auctor Tibulli Catull. 8, 8: „*Sertis* ac *Syrrio* fragrans
olivo“ i. e. oleo nardino; deinde imitator Tibulli Lygdamus
 qui duobus locis hunc Tibulli versum respexit: 4, 27—28.
 (de Apolline): „Intonsi crines longa cervice fluebant, *Stillabat*
Syrrio myrrhea rore coma“ et 6, 63—64: „Iam dudum *Syrrio*
 madefactus *tempora nardo* Debueram *sertis* implicuisse *co-*
mas“; cf. etiam Hor. Carm. II. 11, 14—17: „rosa Canos
 odorati capillos, Dum licet, *Assyrioque nardo* Potamus uncti?“
 et ibid. I. 31, 12: „Vina *Syra* reparata merce“. Pro *puro*
 igitur fortasse scribendum apud Tibullum quoque *Syrrio* aut
 fortasse *Surio*.

XX.

II. 3, 1—4:

Rura meam, Cornute, tenent villaeque puellam:
 Ferreus est heu heu, quisquis in urbe manet.
 Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros
Verbaque aratoris rustica discit Amor.

Agitur de Amore arante, ut in Moschi epigrammate (Anth. Planud. 200.), etiam in gemmis antiquis saepe conspicitur deus parvulus arans. Quid significant igitur hoc loco *verba aratoris*? Ea certe verba, quibus aratores boves pigros hortari solent, ut Ov. Pont. I. 8, 53—56: „Ipse ego, ne solitis insistant pectora curis, Ducam ruricolae sub iuga curva boves, Et discam, Getici quae norunt verba iuvenci, Adsueta illis adiciamque minas“.

XXI.

II. 3, 5—7:

O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic
 Versarem *valido* pingue *bidente* solum
 Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum.

Poeta ante oculos habuit Lucret. V. 207—209: „ni vis humana resistat Vitae causa *valido* consueta *bidenti* Ingemere et terram pressis proscindere aratris“.

XXII.

II. 3, 71—72. (de aetate aurea):

Tunc, quibus adspirabat Amor, praebebat aperte
 Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.

In editione mea adnotavi: „poeta ante oculos habuit Prop. III. 13, 35—37., ubi agitur de amantibus aureae aetatis“. Sed addere debebam Lucret. V. 962: „Et Venus in silvis iungebat corpora amantum“, ubi agitur de prisci generis humani moribus.

XXIII.

II. 5, 81—82:

Ut succensa sacris crepitat bene laurea flammis,
 Omne quo felix et *sacer* annus erit.

Quid hoc loco *sacer* sibi velit, interpretes non possunt explicare neque Tibullum post *sacris* (vs. 81.) sq. vs. *sacer* posuisse verisimile est. Scribendum ex coniectura Cornelisseni *satur*, i. e. frugibus abundans. Cf. Tibull. II. 1, 21—24: „Tunc nitidus *plenis* confisus rusticus agris Ingeret ardenti grandia ligna foco, Turbaque vernarum, *saturi* bona signa coloni, Ludet“; Verg. Ge. II. 195: „*saturi* petito longinqua *Tarenti*“ et Pers. Sat. 1, 71—72: „*rus saturum* laudare, ubi corbes Et focus et porci“. Ceterum Tibullus ipse dicit vss. sqq. (II. 5, 83—84.): „Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni: Distendet spicis horrea plena Ceres“. Cf. Hor. Epist. II. 1, 137: „Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum“.

XXIV.

III. 1, 7—8. (de Neaera, puella amata Lygdami):

Carmine formosae, pretio capiuntur avarae:
Gaudeat, ut digna est, versibus illa *meis*.

Corruptum est *meis*; legimus enim infra vs. 12: „Indicet ut nomen littera facta *tuum*“ et vss. 7—14. non poetae ipsi, sed, ut iam Muretus recte vidit, Musis sunt tribuendi, quae poetam alloquuntur. Optima est Postgatii emendatio: *novis*. Lygdamus enim ante oculos habuisse videtur Prop. I. 16, 41: „tibi saepe *novo* deduxi carmina *versu*“; Lygdamum et Propertium simul respexisse putandus est Ov. Am. I. 8, 57—58: „Ecce quid iste tuus praeter *nova carmina* vates Donat? amatoris milia multa feres“.

XXV.

III. 1, 9—12. nunc ita scribo:

Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex cui canas tondeat ante comas,
Summaque praetexat tenuis fastigia *charlae*,
Indicet ut nomen, littera *facta*, tuum.

Nihil est hoc loco mutandum, quamquam vss. 11—12. audax est verborum ordo, sed tamen apud poetas tolerabilis. Intellege: summa fastigia tenuis chartae praetexat littera facta.

(i. e. inscriptio tituli), ut nomen tuum indicet. *Littera facta*, i. e. littera inscripta non eget emendatione locisque parallelis defenditur. Cf. Ov. Her. V. 1—2: „non est Ista Mycenaea littera facta manu“ et Pont. II. 10, 4: „Cognitane est nostro littera facta manu“. Ad *praetexat* (vs. 11.) cf. Ov. Fast. V. 567: „Augusto *praetextum* nomine templum“.

XXVI.

IV. 1, 144—117. (de Arupinis a Messalla victis):

Ipsae tamen velox celerem super edere corpus
Audet equum validisque sedet *moderator* habenis,
Te duce non alias conversus terga *domator*
Libera Romanae subiecit colla catenae.

Monstrum vocis *domator* est certe glossema ad *moderator* (vs. 115.) pertinens, quod hoc loco genuinam lectionem extrusit. Baehrens rectissime censet scribendum: *Salassus*; Messalla enim Salassos, gentem Alpinam, devicit a. 34. a. Chr. n., ut Appian. Illyr. 17. et Strab. IV. p. 205. docemur. Haec fuit victoria Messallae ante annum consulatus eius maxima, quam auctor Panegyrici in honorem novi consulis scripti vix poterat omittere. Adde, quod poeta vss. praecedentibus (110—115.) victoriam Messallae anno 35. de Arupinis reportatam commemorat; in annum autem sequentem incidit bellum cum Salassis; cf. *Gardthausen*: Augustus und seine Zeit, t. I. p. 330. Erant igitur haec duo bella una commemoranda.

XXVII.

IV. 1, 172—173:

Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus *confunditur* aere.

Vs. 173. ita exhibet Ambrosianus; codices deteriores habent ex coniectura: *confunditur*, quod verbum nusquam occurrit apud scriptores Latinos. Lectio Ambrosiani non eget emendatione: *confundere* enim significat hoc loco idem, quod *perturbare* apteque iungitur cum subiecto suo *pontus* et zeugmate refertur ad *tellus*. Cf. Cic. de dom. 49, 127: „tu

haec ita confundis et *perturbas*” et Cic. de or. III. 13, 50: „oratio confusa, *perturbata*“.

XXVIII.

IV. 1, 196:

Vel *pronus* Aetnaeae corpus committere flammae.

Pronum: emendatio Burmanni Secundi; libri habent: *parvum*, epitheton hoc loco ineptum. In editione mea attuli Ov. Met. XI. 791—792: „furit Aesacus inque profundum *Pronus* abit“. Adde Catull. 17, 23., quem locum auctor noster respexisse videtur: „Nunc eum volo de tuo ponte *mittere pronum*“.

XXIX.

IV. 2, 21—24. (de Sulpicia):

Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,

Et testudinea Phoebe superbe lyra.

Hoc sollemne sacrum multos *haec sumet* in annos:

Dignior est vestro nulla puella choro.

Vs. 23. *haec sumet* habet fragmentum Cuiacianum, *hoc sumet* Ambrosianus. In editione mea emendavi: *huic fumet*, quod nunc quoque probo, sed locum aliter atque ibi explico. *Hoc sollemne sacrum* enim significat carmina ipsa a Tibullo Sulpiciae sacrata (IV. 2—6.); *multos huic fumet in annos*, i. e. multos per annos vivant haec carmina famamque Sulpiciae sustentent, laudes eius divulgent apud posteros. *Dignior est vestro nulla puella choro*, i. e. nulla puella dignior, quae a choro Musarum carmine celebretur. Poeta respexit Hor. Carm. I. 32, 1—4: „si quid vacui sub umbra Lusimus tecum, quod et *hunc in annum Vivat et plures*, age, dic Latinum, barbite, carmen“ et ibid. III. 18, 6—8: „Veneris sodali . . . vetus ara multo *Fumat* odore“ et Verg. Ecl. I. 45: „Bis senos *cui* nostra dies altaria *fumant*“. Carminis laudatorii cum sacrificio comparisonem audacius etiam, quam Tibullus, persecutus est Propert. IV. 6, 1—8. (exordium carminis Augusti laudes continentis): „Sacra facit vates: sint ora faventia sacris Et cadat ante meos icta iuvenca

focos. Cera Philetæis certet Romanâ corymbis Et Cyrenaeas urna ministret aquas. Costum molle dat et blandi mihi *turis honores* Terque *focum* circa laneus orbis eat. Spargite me lymphis *carmenque* recentibus aris Tibia Mygdoniis *libet* eburna cadis.“

XXX.

IV. 10, 3—4:

Sit tibi cura togae potior *pressumque* quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpicia.

Ad *pressumque* *quasillo* in editione mea adnotavi: „metrix, quae olim erat serva lanifica et in capite portabat quasillos lana graves“. Eodem modo solebant urnas gestare feminae antiquae; sed idem fere faciunt nunc quoque mulieres rusticae onera in capite portare solitae. Cf. Ov. Am. I. 10, 6: „Amygone . . . Cum *premeret* summi verticis urna comas“ et Fast. III. 14: „Ponitur e summa fictilis urna coma“.

XXXI.

IV. 10, 3—6. Sulpicia infidelitatem obicit Cerintho; suspicatur enim eum a puella quadam vulgari esse captum:

Sit tibi cura togae potior *pressumque* quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpicia:
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa *dolori est*,
Ne cedam ignoto maxima causa toro.

Rigler pro *dolori est* coniecit *doloris*, vss. 5—6. ita interpungens:

Solliciti sunt pro nobis, quibus illa *doloris*,
Ne cedam ignoto, maxima causa, toro.

I. e. solliciti sunt pro me, quibus illa est doloris maxima causa (qui ob eam causam sunt maxime anxii), ne postponar amicae humili loco natae. Intellegendi sunt autem amici Sulpiciae supra IV. 9, 3. commemorati, amoris eius in Cerinthum conscii, qui timebant, ne Cerinthus amore indigno captus Sulpiciae oblivisceretur. Cf. Propert. I. 16, 35: „Sed tu sola mei, tu *maxima causa doloris*“.

ADDENDA.

I. Ad l. I. 2, 41—42.

I. 2, 41—42:

Nec tamen huic credet confunx tuus, ut mihi verax
Pollicita est *magico* saga ministerio.

In editione mea adnotavi: „auxiliis magicis, auxilium mihi ferens artibus magicis“. Sed laudare debebam Tibull. I. 8, 24: „Forma nihil *magicis* utitur *auxiliis*“.

II. Ad l. II. 4, 14.

II. 4, 14:

Illa cava pretium flagitat usque manu.

In commentario meo adnotavi: „poeta fortasse ante oculos habuit Stratonis epigramma“. Recte: eandem rem tangit etiam Stratonis epigramma.

III. Ad l. IV. 1, 22.

IV. 1, 21—22:

Ut vagus, e terris qua surgere nititur, aer,
Huic et contextus passim fluat igneus aether.

Vs. 22. verba corrupta: *Huic et contextus* ita emendavi in editione Lygdami: *Hunc et complexus* ex Lucret. II. 1066. (de mundo): „*avido complexu* quem tenet aether“ et ibid. V. 467—470: „Sic igitur tum se levis ac diffusilis aether Corpore concreto circumdatus undique flexit Et late diffusus in omnis undique partis Omnia sic *avido complexu* caetera saepsit“ et ibid. V. 500—501: „liquidissimus aether Atque levissimus *aeris super* influit *auras*“. Adde nunc Manil. Astron. I. 149—153: „Ignis in aethereas volucer se sustulit *auras* Summaque *complexus* stellantis culmina caeli Flammarum vallo naturae moenia fecit. Proximus in tenuis descendit spiritus *auras Aeraque* extendit medium per inania mundi“. Nam orbis terrarum in aere undique circumfuso pendet, aer autem undique cingitur aethere.

CORRIGENDA.

I. In editione Tibulli.

P. 28.	vs. 39.	<i>pro</i>	cum iam	<i>legendum</i>	iam cum
P. 30.	vs. 49.	"	deducit	"	depellit
P. 111.	vs. 9.	"	Hostia	"	Plania
P. 175.	vs. 9.	"	Hor. I.	"	Hor. Epist. I.

II. In editione Lygdami.

P. 78. vs. 4. *pro* Ov. Am. II. 2. *legendum* Ov. Am. II. 1.



